



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Tractatus De Schismate**

**Longueval, Jacques**

**Lovanii, [1718]**

§. IV. Character Historicus Nestorii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64915)



## §. IV.

*Character historicus Nestorii.*

**N**Otus adeò est hujus Hæresiarchæ genius, ut quædam ejus specimina sufficiant ad judicandum quantum Ecclesiæ & Religioni adferre detrimentum possit evector ad primariam regni Sedem Episcopus, quando virtutis specie turbulentum animum celans, Schismaticorum ducem se præstat & caput.

Nestorius à Clero Antiocheno ad Sedem Constantinopolitanam evector, singularem animi moderationem ac pietatis fucum præ se tulit. In vestitu modestia, in ore pallor, in fronte severitas, in incessu gravitas spectabatur. His larvis famam quam aucupabat sanctitatis haud difficulter est assecutus. Interea sollicitè errores, quos in Schola Theodori Mopsvesteni didicerat, animo occultabat, donec eos palam disseminare maturum foret. Ante omnia Imperatoris & aulicorum captare gratiam, animos sibi devincire Clericorum, Episcoporum amicitiam ambire, Monachos, quos corrumpere non posse videbatur, crudeliter vexare homini vaserimo curæ fuit.

Porro Prælati regis urbis, magnæque apud Principem auctoritatis, semper habet fortunæ & fidei suæ Episcopos mancipatos. Nulla ætas, nulla regio, nulla hominum conditio servilibus animis caret. Nestorius Dorothei Episcopi & Anastasii cujusdam presbyteri venali operâ utebatur ad disseminandos ptimum errores suos sacrilegos. Populo dogmatum enormitate commoto, silentium



silentium affectabat Nestorius, non ignorans nihil esse ad fovendam roborandamque perverſi dogmatis novitatem efficacius, quàm conniventia & ſilentium ejus, quem primam erroris ſcintillam excutere atque extinguere oporteret.

Haud multò poſt hæc tempore, plebis inſtruendæ prætextu, impietatis ſuæ præco fuit ipſe Nestorius. Tunc urbs Conſtantinopolitana partium ſtudio ſciſſa fuit: aulâ Neſtorio & parte Cleri favente, Monachis verò cum populo reclamantibus. Cauſidicus quidam nomine Eufebius non dubitavit in faciem reſiſtere Neſtorio; edito palàm ejus & Theodori Mopſveſteni Doctrinæ parallelo. Archimandritæ quoque & Monachi ob oculos illi propoſuerunt publicam populi indignantis offenſionem: quos ille verberibus onuſtos detrudi juſſit in carcerem.

Mox tamen premendæ ſeditionis gratiâ palam declaravit, de nullo fidei dogmate, ſed de una dumtaxat vocula nullius momenti quæſtionem eſſe. Verbis ambiguis, & ſenſum Catholicum patientibus, obtegebat venenum erroris. Homilias ad omnia Ægypti Monasteria deſtinavit, Monachorum iſtorum fidem ſolicitans, & explorans conſtantiam. S. Cyrillum uti publicæ tranquillitatis perturbatorem traduxit, ceterosque Catholicos in parem traxit invidiam. Imperatori perſuaſit ut de S. Cyrillo querelas perſcriberet: ipſe quoque de eodem argumento litteras ad Pontificem miſit ſaſtu plenas. Hos delinivit obſequiis, illos largitionibus flexit: quæriturque Cyrillus, illum *exhausta aurea ſua pharetra, Conſules & Comites, & Magiſtros, reginarumque chorum concitaſſe.*

Cyriſſ.  
homil.  
quæ inſcribitur,  
Encomium  
Hiſ Virginis.



His artibus factum, ut nullus fere effet Constantinopoli, qui non succumberet potestati Nestorii. Si quos de Clero reluctantes offenderet, beneficiis spoliatos multabat exilio. Monachos præsertim orthodoxos insatiabili odio persequabatur. Exponit hæc omnia libello supplici Imperatori oblato Basilius Diaconus. Nos, inquit, Nestorius *Comminationibus, insectationibus, exiliis, calididis pravisque machinationibus perterrefacere molitur; & quo suam insaniam confirmatiorem reddat, quacumque excogitari possunt, sine discrimine, aggreditur: non Deum timet, nullum hominem veretur, nullum Episcopum veneratur, nullum Sacerdotem aut Clericum, aut Sanctum Monachum honorat; nullam poenam iniquis decretam formidat, nullam denique legem: sed superbiam quâ omnes parvipendit, elatus, pecuniisque & corruptorum quorundam hominum potentiam, & ut liberè dicamus, vestram quoque dominatione fretus hæc facit.* Ecquis tandem mireretur, tam fraudulentum, tam superbum, tam potentem Episcopum, Pontificis, ipsiusque Concilii Generalis contempnissimam auctoritatem; ac diviso Episcopatu, scissamque Ecclesiam, obiisse denique impoenitentem & pertinacem?

I parte  
Concil.  
Ephes. c.  
30.

## §. V.

*Photii character historicus.*

**P**hotius acer ingenio, & litteris expolitus, dotes naturæ præclaras corruperat ambitione, superbiam, contumaciam, crudelitatem, hypocrisis: quæ vitia in omnibus Sectarum Principibus observata semper fuerunt.

Vir